

& sic ipsam verborum interpretationem aggredior, hac ad finem rite perducta, significatio ipsius tituli seu thematis dissertationis plana erit ac perspicua. Utrum vero THENSAURUS vel THESAURUS sit legendum exigui est momenti. In Pandectis quidem Florentinis semper reperitur THENSAURUS, quam lectionem Haloander sua in Editione nec non Pacius atque alii approbaverunt, cum quibus Lipsius in eruenda antiquitate exercitatissimus facit, qui tractatu suo pereximio de recta pronunciat. Lat. Lingvæ cap. XV. *mirari se, inquit, cum tam suaviter Littera N sonet, omissam sæpe à Grecis aut mutatam. Illorum enim est Μάλλιος, qui Latinis Manlius: Ορτήσιος qui Hortensius: & plura. Quamquam & Latini in hac culpa: certe Sculptores, in quorum lapidibus lego, Clemeti, pro Clementi: Coiux & Infas: pro Conjux, Infans: Meses denique Menses. Donatus contra receptam Scripturam approbat, nam Thesaurum, inquit, veteres secundum Græcos (ubi τήσαυρος non τήνσαυρος) sine littera N proferebant.*